



munis pictura: At Christus venit in Paulum, totum ipsum sua amplissima, & copiosa luce, ut ipse supra citatus ait, circumdans, & splendescere faciens.

42. Torus Paulus respiciens dicit. D. Aug. d. Chry. solt.

2. Cor. 11.

1. Cor. 15.

1. Cor. 15.

Splenduit Paulus ore, & lingua, in qua Christus loquebatur, 1. Corinth. 1. manibus, quae epistolae scripserunt, quibus illustravit, ac illuminavit Ecclesiam magno numero, & altissima doctrina, non solus vivus sed etiam post mortem, ut notarunt D. Chrysothom. homil. 22. ad Populum, & D. August. lib. 1. Confession. Splenduit mente, & oculis gerentibus sollicitudinem omnium Ecclesiarum, 2. Corinth. 11. n. 28 Splenduit auribus audiens in suo raptu arcana Dei, splenduit toto suo corpore. Ipse ait ad Philippens. 1. n. 20. Magnificabitur Christus in corpore meo per modestiam, non ait magnifico, sed magnificabitur, magnus, & excelsus manifestabitur, ut explicat Anselm. sive in vita mea, sive in morte, laboribus, persecutionibus, flagellis, vinculis, ac carceribus, in quibus, ut ipse ait, Abundantius omnibus laboravi, 1. Cor. 15. n. 10.

QUESTIO VII.

Quare Saulus fulgente splendida luce cadit in terram?

43. An Paulus iter faceret in equo. D. Aug. Deut. 17.

Lorinus Sanch.

44. An ceciderit in faciem. D. Greg.

Joan. 18.

1. Reg. 17.

45. D. Ambrosius.

Ex Deo venit quod homo ex peccato ad vitam aeternam pervenit. D. Zeno.

Bat Paulus iter faciens, an pedestris vel equestris dubitatur; Prima opinio tenet eum fecisse viam pedibus, ei favere videtur divus Augustinus, quia nullius equi, velequitis fit mentio, & quia Paulus erat ex Phariseis, qui ut pote religiosiores raro solebant incedere in equo, ut colligitur ex Deuteronom. 17. n. 16. Et haec sententia est probabilis. Probabilius mihi videtur, quod in equo pergebat paulus, sic tenet universalis pictura, totius Ecclesiae etiam antiquissima; deinde iter erat longum a Jerusalem usque in Damascum computantur 50. leuca, & vir nobilis valde difficiliter poterat pedibus tantum iter conficere, & praecipue eum ipse pergeret tamquam dux, & primus eorum, qui eum comitabantur ad adducendos Christianos victos in Jerusalem, qui comites ipsa luce percussit ceciderunt in terram, ut ipse ait Actor. 26. num. 14. pro hac sententia stant Lorinus, Sanchez, & alii. Quomodo Saulus ceciderit, an in faciem, vel retrosum. Textus non explicat. D. Gregor. homil. 8. in Ezechielem existimat in faciem cecidisse, quia poenitentes, ac iustificandi per humilitatem, ac poenitentiam in faciem cadunt, tamquam se reputantes indignos Coelum videndi, & inde modo erigendi sunt per suam poenitentiam: Impii vero retrosum prolabantur tamquam nunquam inde erigendi, & inde Judas, & Judaei comprehendentes Jesum ceciderunt retrosum, Joan. 18. n. 6. Haec doctrina, quamvis communiter sit vera, tamen non in omni casu; nam Goliath infidelis in faciem suam corruit, 1. Reg. 17. n. 49.

Cur ergo Paulus cadit? D. Ambrosius serm. 27. ait: Instantium profuit ista Domini percussio, ut de Iudeo Christianus, de blasphemo Apostolus, de Saulo Paulus existeret, & eo usque mutavit veterem cum viribus hominem, ut mutaret & nomen. Percutit manus Domini, ut erigatur, & errorum caecitas in fidei lumen mutetur, & vitiorum vincula in virtutum decorem. Dicitur, 1. Reg. 2. n. 6. Dominus mortificat, & vivificat. Quod expendens, D. Zeno lib. 3. serm. 24. ait: O magna potestas, ma-

gna perities magna pietas iudicis nostri, descendit quippe gladius pius in viscera peccatoris & uno, eodemque ictu in columi corporis manente materia, interficit hominem veterem, & creat novum. Expende illud Gladius pius & ad hoc pertinet id, quod dicitur Deut. 32. n. 39. Videte quod ego sum solus, & non sit alius Deus praeter me; ego occidam, & ego vivere faciam, percutiam, & ego sanabo. 46.

Secundo Matthaeus in telonio, & in peccatis erat, cum vocatur, & tamen non cadit in terram; Paulus solus, & in sua vocatione cadit alta dispositione divina; quia ex ipsa profundissima humilitate ad altissimum fastigium super ceteros erat sublevandus; Saulus erat ex Tribu Benjamin, in quo praefigurabatur, & cum Benjamin tamquam servus reputaretur in Aegypto, ipsi, ac ceteris fratribus parit Joseph convivium, in quo Major pars venit Benjamin, ita ut quinque partibus excederet, Genes. 43. n. 34. In convivio suorum celestium donorum, quod Christus verus Joseph facit suis electis, quinque major pars super ceteros venit D. Ambrosio Paulo filio Benjamin D. Ambrosio lib. de Joseph patriarchae. cap. 10. & ait Lavit faciem suam Christus, ubi baptizatus est Paulus, per quem a pluribus videtur, ideo in convivio pars eius quintupliciter major effecta est, quod haberet superioribus anteferri, non solum mentis prudentia, sed militia corporis, & gratia castitatis. Tamquam si dicat, quoad Saulus erat in sua obstinatione veluti ad nostrum modum dicendi tristabatur Christus, at dum ipse convertitur, omni tristitia deposita, ejus aspectus maxime jucundus & laetus apparet, eum per paulum quamplurimi sunt convertendi, & ideo ei quintupliciter major pars super ceteros datur. 47.

Prima pars, & valde singularis raptus est ad tertium Coelum, nempe ad caelum Empyreum: 2. Cor. 12. Audivit verba arcana Dei, 2. Corinth. 12. num. 3. multa, & alta sublimia de divina natura, de processibus, ac divinis Attributis, ac de gloria; & maiestate Christi, tamquam Secretarius totius Trinitatis Secunda pars; & valde particularis, quod in suo raptu vidit Essentiam divinam, ut docent D. August. epistol. 12. ad 2. Scotus in 4. distinct. 49. quast. 1. 2. & ad locum pauli Lyranus, D. Anselm. & alii. Nec obstat quod dicatur in Textu: Audivi arcana; nam in Hebraeo, ut notat ibi Theodoretus, idem est audire ac videre, & hoc factum est cum paulo concessa dispensatione ab illa communi lege: Deum nempe vidit unquam, Joan. 1. numero, 18. 48.

Tertia pars, & singularissima extitit admirabilis ejus conversio, ut unigenitus filius Dei a Coelesti gloria, ac throno patris descenderit, eique se cum gloria sua manifestaverit, eumque ex ore suo, suaque voce proprio nomine dupliciter vocaverit Saule, Saule, ejusque cor sua efficaci gratia statim mutavit, quod fuit magnum opus divinae Omnipotentiae, ut dicam versu sequenti. 49.

Quarta pars peculiariter data est ei, ut portaret nomen Jesus, ut singulariter esset doctor gentium, & Ecclesiae Dei illuminator, altissima & sublimis doctrina aperiens mysteria abscondita a saeculis, & loquens de Christi doctrina ait ad Colossens. 1. n. 25. Cujus factus sum ego minister, secundum dispensationem Dei, quae data est mihi in vos, & impleam Verbum Dei. Variablis; Declarem sermoem, & non solum hoc praestitit in vita sed etiam post mortem, & post suis epistolis, ad hoc pertinent elogia adducta supra q. 4. ad finem. 50.

Quinta pars admirabilis Charitas super omnem modum extitit, quae ita actuabat, ut diceret: Operabam ego

Rom. 9. D. Chry. solt. D. Aug. D. Anselm.

51. Ad Eph. 4.

D. Chry. solt.

Charitatem Paulus non potuit capere mundus.

52. Actor. 22. Actor. 26.

53.

Reprehensio danda subiecto capaci.

54.

D. Bern.

Tota poena criminis in auctorem vertitur.

1. Reg. 15.

ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, Roman. 9. n. 3. Hoc est, ut explicat D. Chrysothom. D. August. Theodoret. Anselm. Si Deus ita ordinaret, optarem aeternam separationem ab ipso, dummodo alii salvi fierent

Valde superabundans extitit ista Charitas: De Christo Domino ait Paulus ad Ephes. 4. n. 19. Qui descendit ipse est, & qui ascendit super omnes Coelos, ut impleret omnia. Christus Dominus cum suam immensam charitatem descendit de Coelo, ut terram justitia, ac charitate impleret, & ascendit in Coelum, ut impleret ruinas, sicque omnia per eum repleta sunt, & cum Christi charitas sit infinita, excedit omnem comparisonem; Tamen per exaggerationem sic loquitur de Paulo D. Chrysothom. lib. 2. de compunctione cordis, & ait: Repletis omnibus Calis, Paulus usque ad ipsa pervenit Cali fastigia, sed inde superans omnia, etiam illum, qui super Coelum est, aeternum transcendit, atque ubi, & quae ibi sunt spatia complevit. Tam ampla & lata extitit, Pauli charitas quae cum impleret Coelum, & terram, toto ipso mundo non potuit terminari, ac concludi, sed veluti supra ipsum ad spatium imaginarium se extendit: Etiam illum, qui supra Coelum est aeternum transcendit, & quae ibi sunt spatia complevit.

QUESTIO VIII.

Quare cum Saulus adhuc esset peccator Christus D. eum proprio nomine vocat?

Alit Textus: Audivit vocem dicentem, Saule, Saule quid me persequeris, quae vox Hebraica lingua facta est, ut ipse testatur Actor. 22. num. 9. & Actor. 26. n. 14. & ut ibi testatur, ipse solus vocem audivit, non vero comites, licet viderit, facile enim fieri potuit, ut corpus gloriosum ita suam vocem ederet, & temperaret, ut ab uno, & non ab aliis audiretur.

Primo expendo seriem, ac dispositionem rerum primo circumfulsit lux caelestis, & cadit, & tunc increpationis vox, Saule Saule, antequam caderet, erat oblativus, & exasperans in sua superbia, at vero prostratus, jam erat humiliatus, & dejectus in terram, erat jam dispositus, & praeparatus, ad correctionem, & emendationem, & luce divina percussus, quam Deus infuderat in cor, & tunc emittitur correctionis vox, Saule quid me persequeris? Superbia iracundus increpationis incapax, illius maxime capax humiliatus, & dejectus. Franco-nius Abbas tom. 12. de gratia ait. Nec prius divinae correctionis vocem audire meruit, quam supplantato pede superbia, protinus in terram corruit. Vide tom. 3. cap. 16. n. 93.

Secundo: Ibant multi comites cum Saulo omnes savientes, ac sitientes Christianorum sanguinem, & tamen solus paulus cadit in terram, solus increpatur: Saule, Saule, & solus caecitate percussus: Ratio a priori est, divina electio, quae eum vocare destinabat, Moralis vero, quia ipse erat auctor, instigator, ac inductor aliorum, D. Bernard. in Allegor. Tilman ad hunc locum ait: Tibi videatur ab eo graviores sustinere persecutionem, qui suggestionem malevola exemplo pernicioso, & scandali occasione; avertit ab eo animas, quas redemerat, ideo tota criminis poena in auctorem retorquetur: Ex mandato Dei percussit Saul Amalec, imposito divino praeepto, ut nihil eorum parceret tamen peperit Saul, & populus Agag, & optimis gregibus ovium, & armorum, 1. Reg. 15. n. 9. Et cum Sa-

muel ingrederetur ad Saulem, & audiret ovium balatus, pro inobedientia facta, ait Sauli: Abiecit te dominus ne sis Rex. Si populus cum Rege fuerit in crimine, cum solum tota poena in Regem & non in populum extorquetur: extitit enim auctor, & praemotor, D. Gregor. ibi ait: Quia dum pastores dura castigatio Regi infligitur.

Tertio vocavit Christus proprio ore suo paulum non per aliquem ministrum, ut ex tubo Moysen vocavit, Exod. 3. qui juxta communem sententiam erat Angelus in persona Dei: tamen Christus D. per se ipsum Saulum inclamat, & quid magis est, cum ipse adhuc esset in peccatis, & Deus non solum peccatoris nomen in ore habere, nec dicere, postquam Adam peccavit refertur, Gen. 3. n. 9. Venit deambulans: Vocavit Dominus Deus Adam, & dixit ei: Ubi es? Scriptor Canonicus narrat, quod Deus vocaverit Adam; at Deus ipsum nomen Adam non pronuntiavit ore suo, sed tantum dixit: Ubi es? Cum ipse esset adhuc peccator, cujus nomen alienum est ab ore Dei.

At erga Saulum, tanta resplenduit Christi clementia, quod quamvis esset adhuc in peccatis, ejus nomen non fastidit, sed dupliciter ore tractat Saule Saule: declarans erga eum suam infinitam misericordiam, & patientiam, cujus superabundantem pietatem meditatus admiratur paulus dicens: Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum, sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam, 1. Timoth. 1. n. 15. Et quando Christus ostendit in eo omnem patientiam, omnemque misericordiam, quando ipsum nempe vocavit Saule, Saule, D. Chrysothom. ibi ait: Quomodo misericordiam consecutus est: diendo, Saule, Saule, quid me persequeris? O ineffabilis misericordia Dei quovis modo descendit.

Deinde tot, ac tantis circumstantiis ob exitum amorem erga paulum, Benedicens Moyses Benjamin ait Deuteronom. 33. num. 11. Benjamin amantissimus Domini, habitabit confidenter in eo quasi in thalamo tota die morabitur. Quae verba spiritu Prophetico dicta sunt propter paulum ex Tribu Benjamin: Ita Rupertus, D. Ambrosius lib. de benedict. Patriarch. cap. 12. & ait: Paulus dilectus a Domino, qui etiam vas electionis est factus, neque enim aliter, nisi Domini est miseratione, & amore paulus conversus: Habitavit fidens in domo, quam antea devastabat, & Deus obumbravit super eum: quando in quo visus est ei Christus. Alii dicuntur dilecti: Dilecti mei mecum sunt. Joannes Evangelista dilectus discipulus: Diligebat Jesus; At paulus dicitur amantissimus, & inde talis, quia in eo habitat confidenter; quia ut ipse dicebat nulla creatura nos poterit separare a charitate Dei: In eo quasi in thalamo morabitur. In thalamo tamquam in accubitu suae jucunditatis. In paulo adest reclinatorium suae delectationis, ac thronus suae majestatis, ac potestatis cum tantum, ac talem servum creaverit, ac formaverit ad sui gloriam.

D. Ambrosius citatus illa ultima verba Quasi in thalamo morabitur, sic legit: Deus obumbravit super eum, quando visus est ei Christus. Quando divinum verbum descendit in utero Virginis Mariae, ut ibi tamquam in jucundissimo thalamo habitaret, ait ei Angelus: Virtus Altissimi obumbrabit tibi. Luc. 1. n. 35. Te, nempe proteget ac defendet ab omni libidinis actu, & sua umbra rorabit in te omnium caelestium donorum plenitudinem: Ad hujus rei aliqualem umbram, ac vestigium cum Christus venit in Paulum, ut in eo

T 3 tamquam